



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. X. Ut Amor Dei Desiderium in ædes introduxerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

*Ut Amor DEI, Desiderium in
ædes introduxerit.*

CAPUT X.

INtereà Desiderius stupebat satis, secumque diu cogitabat ea, quæ ex DEI Amore audierat, aitque ad eundem. **DESID.** Ubi hæc omnia feceris, estne, quod verearis aliquem? **AMOR DEI.** Inò sanè: magno studio & perquam seriò mihi curandū, ne ex rectè factis meis inanem gloriam aut propriam existimationem admittam. Si namque iis locum præberem, Dominus meus confestim ex his me profligaret ædibus; itaque matrem meam Humilitatem semper mihi comitem à latere retineo. **DESID.** Quæso, in domum me introducas. **AMOR DEI.** Veni mecum. Jam enim diu satis apud me fuisti. Equidem ad alium quendam comilitonem meum te perducam, cujus est officium dignius & celsius, atq; meum.

um. DESID. Ecquod illi nomen est? AMOR DEI. Desiderium DEI appellatur. Pergebat inde alacri & lato animo Desiderius, DEI Amore comitatus, ad inquirendum DEI Desiderium: eoque reperto, ait illi: Tunc Domine mi, DEI Desiderium es? DESIDERIUM DEI. Ego sum. Quid istuc petis? Visne aliquid? DESID. Vellem, me famulum habere dignareris. Delectabatur Desiderij bona voluntate Desiderium DEI, aitque ad eum: DESIDERIUM DEI. Siquidem mecum degere vales, ab Amore DEI fratre meo probè satis institutus & instructus sis oportet. Ex illo namque vino, quod ex DEI Amoris dolio redundat, DEI Desiderium efficitur. Ne igitur ipse tibi imponas, vide, ut DEI Amore bene antè instructus sis & plenus. DESID. Demoratus sum Domine, apud Amorem DEI, qui de omnibus, quæ me facere oporteat, me instituit, & que pro viribus, divina fretus ope,

exe-

exequi conabor. Certum autem te reddere non possum, utrum absque ulla ambiguitate DE I Amore præditus sim, nec ne: quando ipsi soli id constat, quis eum diligat vel non. Satiusque est hac in parte, me demittere ac humiliare. De me quidem nihil certi affirmare tibi queam, quidnam habeam, hoc uno cane, id est, Bona voluntate, excepto, quem tamen nec ipsum mihi ceu proprium vendicare ausim, cum dono mihi datus sit. Placebant hæc Desiderij verba, DEI Desiderio, præsertim quod sibi Desiderius magnum DE I Amorem tribuere non auderet. DESID. Hoc nunc oratum te velim, mi Domine, tuas mihi condiciones & officium ut explices. DESID. DEI. Quemadinodum ex magna sui cognitione ad grandem sui contemptum & odium, & ex magna DE I cognitione ad magnum DE I Amorem homo pertingit: itidem ex multo DEI Amore ad majus DEI Desiderium perducitur.

tur. Qui verò me adeptus est, nihil
 hujus mundi appetit. Tantam enim
 animo illius adfero generositatem &
 præstantiam, ut se digniorem putet,
 quàm qui quippiam appetere debeat,
 præter summum illud optimum ac
 præclarissimum bonum, id est,
 DEUM ipsum. Imò etiam excel-
 lentissimum & nobilissimum inter
 omnes hujus mundi proceres eum
 efficio. Nam quamvis alioqui infi-
 mo sit genere & obscuris natalibus
 ortus, tamen regem eum facio. Qui
 me præditus est, nihil nisi DEUM
 cogitat, nihil nisi DEUM loquitur,
 eò scilicet, quòd ubi thesaurus illius
 est, ibi sit & cor ejus. Quod au-
 tem quispiam cogitatione comple-
 ctitur, id etiam ore profert. Quæ
 verò ore promit, animi desiderium
 & affectus indicant. Equidem ani-
 mæ sanctæ, quæ ex desiderio vivit,
 esca & refectio sum; atque in hac
 charitatis domo præcipuam obtineo
 dignitatem, agoque Ostiarium in-

K te-

terioris cubiculi ejusdem Charitatis, factaque mihi potestas est, quos velim amicos meos huc introducendi. Ego hinc Concionatoris sive Buccinatoris fungor munere, perque ædes has obambulo, & voces quasdam ac clamores edo, donec Dominum excitem, forasque progredi faciam, colloquendi gratiã cum illis, qui eum desiderant. Ecquis, putas, nuper excitavit nos, dum foris tam diu clamares, malleisque lachrymarum & suspiriorum has pulsares fores? Cum primis quidem id fecit canis vestri latratus. Ego omnium certissimus sum charitatis nuncius, primusque ad portam venio, Dominumque accedo, & ei proximus adsum, ceterisque celerius audior. Denique in mea potestate est, excellentis cujusdam arboris apud nos constitutæ fructum, qui **DEI** Visio appellatur, distribuere, & edendum aliis præbere. **DESIDER.** Dulcisne hic fructus est? Etenim in

Hu-

Humilitatis domo alius quidam mihi oblatuſ eſt, qui ſubacerbuſ erat, maximeque initio difficile ſumi ac deglutiri poterat. DESID. DEI. Hic fructuſ planè ſuavis eſt: quanquam alij aliis gratioſiorem atque uberiorem illiſ experiuntur dulcedinem, pro ut quiſque majori eſurie ac appetentiâ, firmioribuſ dentibuſ, atque palato ſaniori ac purgatori prædituſ eſt. Sunt namque, qui ſtupidoſ habeant denteſ, quibuſ hic fructuſ non convenit, quòd eum terere nequeant. Alij abſque fame vel appetitu eum ſumunt, eò quòd ſtomacho ſint aliis eſciſ oppleto & prægravato: iſque ſimiliter parùm ſapit, ægreque ab eiſ concoqui poteſt, non tamen officit eiſ. Denique alioſ inveniaſ licet, qui ob febreſ, alioſque immoderatoſ caloreſ gultuſ habeant infectuſ: iſque, cujuſmodi hic fructuſ ſit, non niſi ſolo auditu noverunt. DESID. Precor, hujuſ deguſtandi fructuſ copiam mihi faciaſ.

DESID. DEI. Placet, quòd degu-
 stare dicas. Non enim potest quis-
 quam in hac vita pro libitu illo exa-
 riari : gustare duntaxat & experiri
 hîc licet, quàm suavis sit. DESID.
 Quid ita? DESID. DEI. Si quis hîc
 pro sua voluntate, ad satietatem us-
 que, eo abundè potiri posset, is ex
 hoc carcere & exilio emigrare, ad
 cælosque scandere non appeteret.
 Quare nos præ fame penè morientes,
 atque ex longa inedia viribus exhau-
 stos, illum præstolari debere diem
 scias, quo ad cœnam magnam Regis &
 Domini nostri ingrediamur; non ali-
 ter eû suspirantes, quàm cervus æsta-
 te desiderat ad fontes aquarum. Tan-
 tæ autem virtutis & efficacîæ hic fru-
 ctus est, ut unicus illius morsellus,
 hominis quantumlibet edacis totum
 stomachum repleat. Atqui ubi cum
 Domino erimus, capaciores fortio-
 resque nobis præstabit stomachos,
 ut fructum hunc absque ullo incom-
 modo ad satietatem usque edere
 quea-

queamus. Hic verò si quis plùs inde sumere velit, quàm ejus possit ferre stomachus, detrimentum potiùs quàm utilitatem inde reportabit. Unde necesse est, fructum hunc ut parcè ac moderatè sumamus, donec eò perveniamus, ubi eodem ipso, quem hìc gustamus tantùm, abundè in omnem æternitatem nos expleturi sumus.

Ut DESIDERIUM DEI, ad hunc edendum fructum Desiderium prepararit.

CAPUT XI.

DESIDERIUS. Obsecro, mi Domine, ut fructùs hujus, quantum ipse voles, mihi edendum præbeas. **DESID. DEI.** Principio quidem, cùm fructus iste non nisi mundo contineatur vase, opus est, dentes ut purges tuos, osque & oculos, & faciem, manus ac pedes be-

K 3 nè